



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Sed quid si homo non possit retractare causam culpabilem omissionis, ut
fit in somno vel ebrietate. An peccat non solùm quando posuit causam,
sed etiam cùm præceptum urget?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

potest. Sic Sacerdos, qui Breviarium in mare liberè projecit, unde factus est impotens ad illud recitandum, non solum peccavit projiciendo, sed etiam singulis diebus denuò peccat non recitando, quamdiu priorem culpam non retractat. Item qui ante sacrum longæ viæ sine necessitate se dedit, unde factus est impotens ad audiendum sacrum, peccat contra religionem non solum cum se dedit longæ viæ prævidens impotentiam audiendi sacrum inde secuturam, sed etiam postea, dum celebratur sacrum, nisi tunc eliciat contritionem. Ratio est quia omissio actualis est imputabilis voluntati, quamdiu est voluntaria in causa non retractata, quæ possit retractari: tamdiu enim liberè continuatur, & ponitur voluntariè omissio, quamdiu potest retractari ejus causa, & non retractatur; nam est tunc in potestate hominis efficere, ne sit ampliùs voluntaria, ac moralis.

Sed quid si homo non possit retractare causam culpabilem omissionis, ut fit in somno, vel ebrietate: An peccat non solum quando posuit causam, sed etiam cum præceptum urget?

Resp. Alii affirmant, eò quòd talis omissio sit illi sufficienter voluntaria in causa non retractata. Alii probabiliùs negant do-

docentes talem omissionem nil per se malitiæ imputabilis addere culpabili positioni causæ ejus, eò quòd tunc omissio non sit voluntaria, & libera nisi in causa; & voluntas tempore omissionis non continueatur liberè, nec ullum exercitium liberum habeat, cum ne possit quidem ejus causam retractare.

Cæterùm necesse est omnes omnino omissiones actuales confiteri, & non tantùm causam earum culpabilem. Nam ex praxi perpetua fidelium, ex qua necessitas materiæ Confessionis potius, quàm ex principiis metaphysicis metienda est, constat, actiones, & omissiones in causa mortaliter culpabiles esse necessariò confitendas, sive illæ secundùm se peccata sint, sive solum effectus, & objecta peccati in causa liberè posita commissi. Præterea id etiam necessarium est, vel ad explicandam, sicut oportet, peccati gravitatem, vel ad detegendum damnum tertii, obligationem restituendi, &c. Vel ob periculum reservationis, aut censuræ.

CAPUT IV.

De ignorantia, & ejus Peccatis.

Q. 1. **Q**uid est Ignorantia, & quotu-
plex?

Resp.